



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Bavaria Sancta Maximiliani Sereniss. Principis Imperii,
Comitis Palatini Rheni, Vtrivsq. Bav. Dvcis Avspiciis**

Rader, Matthäus

Monachii, 1615

S. Eberhardvs Sive Erhardvs Opilio Ad Frisingam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79686](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79686)

DE S. EBERHARDO
S. EBERHARDVS

SIVE ERHARDVS

OPILIO AD FRISINGAM.

Ex literis
& manu-
mentis Fri-
singensis
canonij ad
S. Petri.
Nona Cel-
la.



Vamuis neque sæculum, neque annum potuerim de-
prehendere, quo S. Erhardus, quem fortuna pecoris cu-
stodem fecit, vixisse potuit; ex tabulis tamen Romanis,
quæ de æde S. Michaelis, vbi conditus est Eberhardus,
cognosci potest, virum sanctum fuisse, cum sanctus in
ijsdem appelletur. Quæ porro de eius rebus didici, malo ad verbum
ex literis ipsius Cœnobiarchæ religiosissimi R. D. Petri ad Serenissimū
MAXIMILIANVM Bojorum principem perscriptis, subijcere, quod
id ad fidem faciat, quam præter auctoritatem hanc, desideramus.

In filiali quadam Ecclesia Monasterio huic vnita, & D. Michaeli Archan-
gelo sacra, vulgò in Dintenhäusen, cujusdam etiam Sancti, nomine Eberhardi
habetur sepultura, qui, vt & ejus fert effigies, pecudum pastor in eodem pago su-
isse dicitur. Ejusdem sepulchrum serè indies adhuc frequentatur, cum à vicinis,
tum etiam à remotius distantibus. Terra quoque ex tumulo sancto studio eruitur,
ac domibus & pecorum stabulis importatur, jumentisque contra venenatas ac
contagiosas lesiones applicatur, vt hoc ipsum non paruum miraculum censi pos-
sit, quod tam continuæ effossioni tumuli angustia sufficiat. Quia verò sanctus il-
le multo ante, quàm ab Episcopo quodam Frisingensi Ecclesia illa Monasterio do-
nata est (vt ex Apostolicis quibusdam Bullis Ecclesiam illam concernentibus,
in quibus & ipse Sanctus vocatur, conijci potest) ad celestia migravit, idcirco nec
dies obitus, nec annus nobis constat; celebrior tamen circa festum D. Michaelis
ejus veneratio & memoria habetur. Multa alia miranda celebrant
accolæ agrestes, quæ hic non colloco, cum sine
testibus ferantur.



S. EBERHAR-

B. EBERHARDVS PASTOR.



Gens dilecta Deo pastor, sua si bona norit,
Pro crescente hiedra cum diadema tulit.
Nempe giganteum prostravit fulmine monstrum,
Et stratum funda percussit ense caput?

Nempe fuit partus diuini conscius idem!
Audiit et superos nocte nitente choros?
O Felix EBERHARDE gregis dux, ibis ad Agnam;
Atq. inter sanctos sanctior agnus eris.

